QUin & hoc crimen, cum ex eodem fonte manet, eidemque pœnæ a ſuperioribus ſubjectum ſit, inſanabili nos caſtigationi (quippe quæ mortis pœnam contineat) eximentes, mitiore, quemadmodum & prædicta, dignamur pœna. A veteribus [1] enim ſtatutum eſt, ne ad hoſtes transportentur, quibus illi inſtrui firmioresque reddi poſſint, ac ſanctionis decretum contemptores de medio tollebat. Nos vero iſti quoque crimini mitiorem pœnam (licet acerbam requirat) aſſignantes, talia conſtituimus: ut ſi navis dominus ſit, qui res vetitas ad hoſtes transvexit, conſiliumque ſuum cum nautis non communicarit, is ſolus pœnam ſubeat, & ſupra univerſum navis onus, ni ipſum inopia valde premat, reliquorum bonorum trientem etiam fiſco dependat. Si vero ſoli nautæ (ut multa illis [2] malitioſum ſuum animum celantibus contingunt) id facinus auſi ſint, ille quidem prorſus liber eſto, hi vero pœnam non effugiunto: ac primum quidem flagris cæduntor, cuteque tenus tondentor: deinde vero, ſi divites ſint, eorum quæ exportarunt, quadruplo multantor: ſi inopes & pauperes, ſupra verbera ignominioſamque tonſionem, quod alios in ſervitutem tradiderint, libertatem amittunto. Nam qui, quantum in ſe eſt, non modo quamplurimos in ſervitutem ducunt, ſed etiam communi vitæ acerbitatem adferunt, tametſi ad ſervilis vitæ conditionem adigantur, mediocris tamen hæc atque mitis pœna eſt. Atque hæc quidem, quando communi conſenſu patratum non eſt facinus. Si vero communi conſilio & malitia res geſta fuerit, ut ſimul eam perpetrarunt, ita etiam utriſque ad præſtitutum a nobis modum caſtigandis, ſimul pœnas ſuſtinebunt.

CONSTIT. LXIV.

* DE POENA EORUM, QUI NAUFRAGIUM SUPPRESSERINT [3].

Idem Imperator eidem Styliano.

ILlud etiam atque etiam admiror, quomodo qui naufragio ejectas res occultat, tantum delinquere videatur, ut id mortem ipſi inferre debeat [4]. Quod autem qui illos rebus ſuis defraudat, quibus aliquis miſericordia motus, vel de ſuo ſumptus ſuppeditet, quemque in corde dolorem circumferunt, leniat (cum præſertim graves cruciatus in bonorum amiſſione ſuſtineri conſentaneum ſit) ille non mediocre flagitium audeat, id vero luce clarius eſt. Atqui quod hos, quos vecors cupiditas huc impulit, vita privari oporteat, hoc profecto intellectu aſſequi nequeo. Nam quid tantum ablatum eſt, ut cum anima conferri poſſit, qua privari debere ille condemnatur? Peſſimus quidem certe eſt & ſacrilegus, qui ſe iſtiusmodi lucro mancipat: ac ſane ille (id quod ab aliquibus fit) mortuos ſpoliat. Verumtamen id facinus iſtiusmodi non meretur pœnam. Pro [5] re enim materiali & fluxa, materiæ expertem atque immortalem, animam nempe, capere haud eſt æquum. Nam ſi perſæpe neque in rebus materialibus mulcta illatum damnum longe ſuperat, quo videlicet velut circuitum aliquem iniquitas exceſſu non conficiat: quamobrem tam inæqualis pœna illos, qui naufragorum res occultant, percellat, ut exceſſus, quem ultio ad facinus refert, exprimi verbis nequeat? Jubemus igitur, *ut de hoc* non amplius ita vindicetur, ſed pro re detenta, qui occuluit, quadruplum [6] dependat, eaque pœna id delictum defungatur.

CONSTIT. LXV.

* DE INCANTATORUM POENA [7].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUi propter [8] temulentorum incompoſitum malignumque animum reprobandum eſſe vinum, ejusque oblectamentum adverſandum dicit: næ ille propter perverſum uſum, rem per ſe non perverſam ſuggillat. Ego vero promulgatam a veteribus legiſlatoribus legem [9] conſiderans, eam quæ modo incantamentum malum eſſe rata, id punit, modo vero admittit & approbat, *quanquam* id ex utentium propoſito malum non fiat, ſed ſua natura vitioſitate, tanquam ſterquilinia graveolentia ſcaturiat: non *tamen* illos legiſlatores reprehendendos dixerim, ſed ne quis legem (quod merito fiat) vituperet, eam ex legum quaſi fundo tollendam puto. Vult autem puniri incantationes, eo quod modeſtia animi ſublata, ſtimulis furoreque [10] amatorio rationem ad inſaniam adigant: ac approbat [11] rurſum illas, tanquam ſegetes [12], & fructus curent, aliaque bona (ut quidem videtur) ſuppeditent. Atque ita quod tanquam inſidioſum puniiſſet, idem rurſum tanquam beneficium honorat. Atqui nos iſtiusmodi incantationes pernicioſas eſſe perſuaſum habemus: & ut boni quicquam inde manare credamus, induci non poſſumus. Ac ſane etiam ſi boni quippiam producere illas appareat (quomodo *quidem* approbanti ipſas legi videtur) non *id* bonum eſſe, ſed illecebram atque naſſam, quæ illectos in malorum omnium extremum, ubi a ſummo bono excidant, abſorbeat, compertum habemus. Notum enim nobis eſt illas, ut qui ſe ipſis dedunt, præ creatore & Domino infauſtis diriſque dæmoniis adhæreant, efficere: & qui illas affectantur, hos per externarum rerum lætam quandam ſpeciem vulnera in animam excipere. Quale quiddam inter pugnandum meticuloſis frequenter accidit: qui dum ictus in manus excipere nolunt, illis vel caput vel ventrem exponunt. Sane vero *ſi quis aliquo* modo incantamentis uſus eſſe deprehenſus fuerit, ſive id reſtituendæ conſervandæve valetudinis, ſive avertendæ a rebus frugiferis

1 Valente, Gratiano, & Martiano. 2 Nautis malitia ſæpe ineſſe ſolet.
3 Pœna naufragium ſupprimentis, quadrupli hic conſtituitur, & ita abrogatur pœna mortis, qua olim affecta fuit, vid. l. 3. *in fin. ff. de incendio*; l. 3. §. 4. *ff. ad l. Corn. de ſicariis.* 4 Ex d. l. 3. *de incendio*, l. 3. §. 4. *ff. ad l. Corn. de ſicariis.* 5 Obſerva hanc ſententiam. 6 Pœna naufragium ſupprimentis.
7 Incantatores, quorum opera olim grandines averterentur, minime puniebantur. vid. l. 4. *C. de maleſic.* Hac Novella jubentur ſupplicium pati. Adde Photium 9. *Nomoc.* 25. 8 Uſus rei propter abuſum hominum non tollendus. 9 d. l. 4. *C. de maleſic. & mathematicis.* 10 Vid. l. 15. *ff. de injuriis.* 11 d. l. 4. 12 Vide omnino quæ ſcripſi ad d. l. 4. 13 Pœna incantatorum ſupremum ſupplicium. adde *Deut.* 18. *Lev.* 20. 1 *Reg.* 28. Platonem 11. *de legibus.* Caſſiodor. 9. *variarum* 18. Dionem 52. Herodian. 4. Arrianum *in Indicis c.* 25. *Capitularis Caroli Magni*: Xiphilinum *in Julian.* Tacitum 2. *Annal.* Sueton. *in Tiberio* 32. Columell. *de re ruſtic.* 8. Suidam

calamitatis cauſa fecerit, is apoſtatarum pœnam ſubiens, ſupremum ſupplicium ſuſtineto [13].

CONSTIT. LXVI.

DE PLAGIO [14].

Idem Imperator eidem Styliano.

UT juſtitiæ libram non plus æquo ad miſericordiam inclinare, ita neque nimia auſteritate ſæviusve graviorem quam peccatum requirat, pœnam imponi, honeſtum eſt. Illud enim (intempeſtiva commiſeratio nempe) in illis quibus decorum excedere religio non eſt, contemptum, & ad audenda mala ferventiorem promptitudinem gignat: & graviore quam pro merito delictum pœna ferire, id vero non juſtitiæ ultio, ſed ſub ſpecie juſtitiæ rem injuſtam aggredi eſt. Nam non pro delicti modo delinquentem punire, injuria afficere, nequaquam vero juſtitiam exercere eſt. At quem in finem hoc dictum eſt? Quod lex [15] quo neſcio modo (eſt enim hoc conſtitutum) eum qui alienum ſervum abduxit, morte puniat. In quo illa pœnam ad delictum haud dubie non expendit. Quum enim quod recuperari nequeat, amiſſum nihil ſit, mortis pœnam illi qui cœpit inferri, irrecuperabilique ita damno ſubjici, non eſt æquum. Idcirco itaque ab iis qui digna morte non commiſerunt, tam acerbas pœnas exigi, ubi iniquum eſſe animadvertimus, quam legem conſuetudo contempſit (ut quæ vita plagiarium non privet, ſed alio modo puniat) eandem nos etiam legalibus conſtitutionibus ejicientes, quod conſuetudini placuit, lege confirmamus: ac jubemus, *ut ſi quis* alienum ſervum abduxiſſe deprehenſus ſit, is eundem, ejuſdemque pretium, tum etiam quicquid ex induſtria ejus ipſi acceſſit, reddere [16], & quantum dominus non amiſſo ſervo ejus nomine percipere potuerit, tantundem dependere, cogatur: atque ultra hæc delinquentibus pœna non aggravetur. Si quidem ita illi, qui ſervum amiſit, ſufficienter damnum ſarcitur, furique ſatis magna pœna irrogatur: quippe quum ille ſervum cum acceſſione recipiat: & quam utilitatem ex ſervo non ſurrepto ſenſiſſet, illa non imminuatur, hic vero non ſolum ſervum ſurreptum reddere debeat, nihilque ex ipſius ſervitute lucretur.

CONSTIT. LXVII.

DE IIS QUI AD HOSTES TRANSEUNT, SUAQUE SPONTE REVERTUNTUR [17].

Idem Imperator eidem Styliano.

SImul nimia auſteritas & ſeveritas, ſimul immoderata lenitas & clementia ex æquo utraque quod utile eſt intervertunt. Etenim & qui ſ[illegible] re nequit, utrumque ſive alicui uni, ſive familiæ, ſive civitati præſtet, quibus præfectus eſt, cum illorum detrimento res adminiſtret. Oportet enim, ut qui recte præfecturam adminiſtraturus eſt, quemadmodum temperata [illegible] loca æquabilitate [illegible], ſic [illegible] ad rerum adminiſtrandarum utilitatem attemperata, ſe moderatum præbeat, & neque moroſitate gravis atque intolerabilis ſit, neque lenitate deſpicabilis, & ad gubernandum ineptus fiat. Quod autem de [illegible] dicimus, hoc certe & in legibus ſervari omnino convenit. Nam oportet leges, quum revera reipublicæ principes ſint, quam dixi contemperationem conſervare, neque ad ſeveritatem lenitatemve ſupra modum reſpicere: ſiquidem, qui ipſarum rectionem agnoſcunt, incolumes futuri erunt. Atque hæc quidem reſpectu præfectæ illius legis, quæ adverſus eos qui ad hoſtes transfugerent, lata eſt, a nobis dicuntur. Vult autem illa [18], uti transfuga, ſi quando pœnitudine ductus, redeundo ad ſuos commiſſum delictum obliterare velit, beſtiis devorandus [illegible]. Quod ſane mihi reipublicæ magnopere nocumento eſſe, magnamque rationum ad ſalutem iter monſtrantium contrarietatem gignere videtur. Neceſſitatem enim transfugis inducit, [illegible] neque revertendi in patriam concipiant deſiderium. Nullus *eſt enim omnium*, qui quum ſe iſtiusmodi pœna excipiendum ſciat, inter hoſtes vivere, quam tam acerbam in patria mortem pati, non malit. Quapropter rigidam hanc ſeveritatem, ut ne iniquitatem dicam (nam quum qui deliquit, deindeque ſuapte ſponte ad medendum delicto reſipiſcit, tam acerbe punire, quomodo non eſt iniquum?) ex juſtiſſimis legibus profligamus, ac jubemus, *ut* [19] *ſi quis* transfuga in patriam recurrat, quum ſemel dumtaxat transfugerit, veniam conſequatur: ſi iterum [20] id fecerit, in triennalem ſervitutem divendatur: ſi vero tertio transfugerit, reverſus in perpetuam ac æternam ſervitutem addicatur. Tam incerti enim conſilii homo, tamque inconſtans, qui libertate fruatur indignus eſt. Cæterum ſi transfuga non ultro redierit, ſed ab aliis comprehenſus in patriam retractus ſit, morte tum illum [illegible] puniri, neque injuſtum, neque [illegible] fuerit: præſertim vero, ſi ante [illegible] contaminaverit.

CONSTIT. LXVIII.

UT MONACHI ET CLERICI TUTORES [21] ESSE POSSINT: SED AB ADMINISTRATIONE AC PUPILLORUM RECTIONE ARCEANTUR.

Idem Imperator eidem Styliano.

VEteribus quidem legiſlatoribus [22] (quum ut ſimile veri eſt, uniformis & ſimplex tunc temporis tutela eſſet, ſique ſoli qui pupillorum tuitionem ſuſciperent, tutorum nomine cenſerentur)

in verbo [illegible] vide Petr. Gregor. 34. *ſyntag.* 14. 15.
14 Περὶ [illegible]. Plagii pœna fit hic pecuniaria, olim fuit capitalis. [illegible] l. 7. *C. ad l. Fab. de plag.* 15 d. l. 7. 16 De pœna plagiarii adde Petr. Gregorium 36. *ſyntag. ult.*
17 [illegible]
21 Περὶ [illegible] *Scrimg.* Monachi & Clerici tutores [illegible] eſſe poſſunt [illegible] quæ de tutela ſimplicitez ſumpta legi videbatur. 22 Juſtinianus in *Nov.* 123. c. 5.

edicere

edicere viſum eſt, ne monachi aut quoſcunque ſacer ordo devinctos habet, tutorum officio fungantur. Et certe quidem id recte edixere. Intellexerunt enim, qui divino miniſterio conſecrati ſunt, hos ab externarum rerum occupationibus & moleſtiis liberos eſſe oportere. Quantum autem alendorum alioquique regendorum puerorum cura hominum animos diſtrahat, utque Deum debite colere non poſſint, impediat, nemo ignorat. Cum itaque non exigua difficultas iſti rei inſit, ac præcipue propter temporis diuturnitatem (tota enim plerunque vita tutores laborioſis iſtis curis irretiti tenentur) recte (quomodo dixi) iſtud illi decretum promulgarunt. Verum quoniam poſteriores illis dumtaxat qui tutelam adminiſtrarent, tutorum appellationem non ſervarunt: ſed hos etiam quibus [1] teſtatores, bona illorum exiſtimatione moti, teſtamentarias de rebus ſuis præſcriptiones [2] committunt, ac poſt mortem earum executionem concredunt, tutores vocare cœperunt: ac vero inde dubitatio extitit, an monachi, quique ſacrum ordinem ſubierunt, quod dictum decretum id non admittere videatur, hanc demandatam curam ſuſcipere poſſint: nos diſcrimine adhibito ſancimus, ut ab illa tutela ad quam vetera tempora reſpicientia, promulgandi decreti, quod dictis perſonis ad illam aditum præcluderet, occaſionem præbuere, penitus illi arceantur, natam autem poſtmodum tutelæ ſpeciem ſubire ipſis licitum ſit. Hujus namque muneris non ita graves curæ ſunt, ut a divino miniſterio aliquem abſtrahant, ſibique totum aſtringant. Tum alioqui quanto hi illis qui profanis rebus impure inhærent, ac in terrenis ſordibus volutantur, cautius diviniusque vivunt: tanto melius cautiusque defunctorum præſcripta expedienda eſſe ſpes eſt.

CONSTIT. LXIX.

* CÆCOS [3] SECRETO [4] TESTAMENTUM FACERE POSSE [5].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUandoquidem de eo, quomodo cæcos teſtari oporteat, dubitatur, eaque dubitatio ex locis legalibus (quod ea de re leges inter ſe diverſa ſtatuant) & ex ea quæ nunc obtinet conſuetudine exiſtit: neque hoc altius expendere atque repurgare inconveniens aut alienum putavi. Etenim alia lex [6] prohibet, ne cæcus arcano [7] modo teſtamentum condat, & ne aliter id vim habeat, ſtatuit, quam ſi teſtes quæ conſtituta ſunt, a cæci ore proceſſiſſe, ſuisque auribus inſonuiſſe afferant: atque per ſolum tabularium illorum fidem communiri non vult. Alia [8] autem latam quandam ad arcanum [9] teſtandi modum mulieribus, & illiteratis hominibus viam aperit, dum nullam aliam obſervationem præſcribit, quam, ut ſi teſtator literarum non omnino ignarus ſit, ſua ſubſcriptione teſtamentum corroborare debeat: ſi vero id præſtare non poſſit, pro ſe alium ad ſubſcribendum aſſumat. Atque ſic quidem ex legibus *illæ inter* ſe res diſſideant. Quomodo enim ſi mulieres rudesque literarum quam pauciſſimis voluntatis ſuæ conſciis teſtamenta condent, quum fides in ſolo tabulario fluctuet, non ex eadem cauſa cæcus liberam teſtamenti factionem habeat? Jam vero & conſuetudo, non ſolum autem alterius legis ratio, cum lege pugnat. Etenim placet huic, ne mulierum, & imperitorum literarum, cæcorumve teſtamenta arcane facta vigore priventur. Quod cum ita ſit, nos quoque, ut ſecreto [10] confecta teſtamenta, ſive cæcorum, ſive aliorum [11] quorumvis ſint, autoritatem obtineant, ſancimus: illudque inſuper ſtatuendo addimus, ut antequam teſtes jurent, ſubſcriptiones eorum qui teſtamenta conſcripſerunt, in medium proponantur, *quæ ſonent*, quod revera illa ſcripſerint quæ ipſa teſtatoris lingua dictante audiverunt. Et ſi quidem falſum commiſſum eſſe poſtmodum probetur, ipſos, ſi divites ſint, bonorum ademptio: ſin pauperes, vehementia verbera & exilium in delicti pœnam maneant. Quibus hoc inſuper annectimus, ut ſi quando ad ſui confirmationem (quod frequenter incidit) juramentis teſtamento opus ſit: ipſi etiam qui teſtamentum conſcripſerunt, una cum juraturis teſtibus rei fidem & veritatem corroborent.

CONSTIT. LXX.

DE GRASSATIONIBUS [12].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUos communio [13] in unam aliquam eandemque conditionem conjungit, inter hos communes etiam animos eſſe ubique videas. Ita in negotiationibus ſocii [14] lucrum damnumque æqualiter inter ſe partiuntur; ita itinerum comites, quum fortuitu in rem aliquam incidunt [15], tametſi ſæpe uno illam momento pariter non conſpiciant, ejus tamen inter ſe jus communicant [16]. Ita vero & commilitones [17], licet omnes non pari ſtudio & impetu in hoſtem ferantur, attamen victoriæ palmam ex æquo auferunt. Quapropter etiam, ut qui malitioſo conſenſu coitione facta, rem aliquam in quam a lege pœna conſtituta eſt, incœptant (utpote ſi [18] raptus committatur, vel parricidium [19], alteriusve cujuſpiam cædes perpetretur) quanquam non omnes tantundem momenti & operis re peragenda conferant, eandem tamen pœnam ſuſtineant: ſane quam recte veteri legiſlatori placuit. *Et nos quoque* idcirco, quæ de his qui ſimul & communiter latrocinandi [20] animo homines invadunt, jam olim ſancita ſunt, approbantes [21], ſtatuimus, uti omnes, quotcunque fuerint [22], eodem [23] ſupplicio afficiantur: tametſi parem operam rei perpetrandæ non omnes adhibuerint. Non enim ſi quis ipſe manus inferendæ neci non admoverit, continuo inſons & a pœna immunis eſſe poterit. Quid enim ſi preſſis ipſe manibus, alterius tamen dextram ad cædem intenderit atque confirmarit? Sane quod manus homicida, a communi perverſitate inſtigata, rem aggreſſa ſit, conſtat. Nam niſi aliorum manus huic in ſubſidium præſto fuiſſent, non certe ita prompte homicidium perpetraſſet. Ac propterea (quemadmodum dictum eſt) quamquam uno cujuſpiam ictu (quod fieri poteſt) mors illata fuerit, aliorumque manus ſuppetias non tulerint: ut eandem tamen omnes pœnam ſuſtineant, decernimus.

CONSTIT. LXXI [24].

DE IIS QUI IN LOCIS ARABILIBUS [25] AUT VINEIS [26] ÆDIFICATURI SUNT [27].

Idem Imperator eidem Styliano.

PRæſtantiſſimum illud æquiſſimumque patris noſtri ſempiternæ gloriæ Principis placitum, quanto [28] *videlicet* a vicini finibus ſpatio abſtinere debeant, qui in locis, quos hactenus aratrum ſecarit, inve quibus vineæ conſtiterint, noviter domus *aſſignandas* [29] *muneribus publicis* ædificare velint: quoniam ab ipſo in legum corpus [30] transſcriptum [31] non eſt, legis [32] autoritate decorari oportere judicavimus. Statuimus itaque, ut qui in locis ad ſementem excultis novas ædes conſtruere volunt, ſi loci amplitudo ferat, ſecundum illius [33] placitum a vicini finibus tanto ſpatio ædificent [34], in quantum arcus iterata [35] vice telum ejaculetur: ſin tantum ſpatium interſtitio loci anguſtia non præbeat, uno etiam arcus jactu hoc conſtituatur. Intra dictum autem ſpatium novam [36] domum extruendi nemini facultas ſit. Cujus ratio evidentior eſt, quam ut exprimi opus ſit. Quo enim ædificium propius vicini fruges ponitur, eo illi etiam noxa propinquior eſt.

CONSTIT. LXXII [37].

UT PACTA ETIAM NON CONSTITUTA POENA [38] VALEANT [39].

Idem Imperator eidem Styliano.

LEgali [40] decreto, quod nudum pactum non actionem, ſed ſolum exceptionem parere tradit, nonnullos illudere videmus. Dum enim omne pactum quod pœna ſtabilitum non eſt, nudum eſſe volunt: etiamſi [41] ſcripto comprehenſum ſit pactum, etiamſi [42] qui pactum inierunt, ſua manu ſacroſanctæ [43] crucis [44] nota [45] ſcriptum ſignarint, etiamſi divini [46] ternionis appellationes adjectæ ſint: ſi tamen pœna conſtituta non ſit, id ut invalidum, contemnunt ac rejiciunt. Qui ſane male ſentiunt, minimeque judicium ſuum comprobant, ut qui rebus divinis communes res mortalium longe præferendas cenſeant. Quam enim tantam, recto quidem hominum judicio, adjectio pœnæ, pactis autoritatem, quantam ſacroſanctum ſignum, divinitatiſque nomenclatura in illis conſpecta præbeat? Sancimus igitur, *ut omne* pactum, in quo ex divinis hiſce adjumentis [47] idoneum aliquid ad faciendam fidem in-

1 Vetuſtas executores teſtamentarios nonnunquam ἐπιτρόπους appellavit. dixi ad l. 107. *ff. de legat.* 1. l. 21. §. 4. *ff. de annuis legatis.* adde *Nov.* 131. *c.* 12. 2 Præſtationem d. l. 107. miniſterium l. 7. *ff. de legat.* 2. dationem l. 9. *ff. de alimentis.* diſtributionem l. 96. §. 3. *ff. de leg.* 1. l. 7. *ff. ſi cui plus quam per leg.* eis præſtatur cautio legatorum, d. §. 3. & petitio competit d. §. 3. d. l. 107. d. l. 9. l. 28. §. 1. *C. de epiſc.*
3 Cæci ſcripto teſtari poſſunt, *ut hic.* adde Paul. 3. *ſent.* 4. §. 4. ut & adoptare & adoptari, l. 9. *ff. de adoptionibus.* tutelam gerere, l. 16. *ff. de autoritat. tut.* multo magis bona ſua adminiſtrare: ideo curator cæco dari non ſolet: quia & ipſe ſibi procuratorem poteſt inſtituere, Paul. 4. *ſentent.* 2. §. *ult.* Poteſt etiam cæcus officio fungi, l. 6. *ff. de judiciis*: & quidem ſenatorio l. 1. §. 5. *in fin. ff. de poſtulando*, id eſt, retinere officium (Perſæ ne luſcum quidem ad regnum admittebant, *Procop.*) & teſtis eſſe in iis quæ ante cæcitatem vidit: poſt cæcitatem autem de his quæ a ſibi notis hominibus audivit. Accurſ. *Novell.* 1. *c.* 2. §. 1. *verſ. ſi vero in verbo vidiſſe*: Speculator *tit. de teſtibus.* feudum etiam retinet 2. *Feud.* 14. non poteſt tamen poſtulare, l. 1. §. 5. *ff. de poſtulando.*
4 Id eſt, ſcripto, non tantum per nuncupationem, quod exigebat lex 8. *C. qui teſtamenta.* Olim dubitatum fuit, Num cæcus teſtamentum poſſet facere: ſed in eam ſententiam tandem itum fuit, poſſe: quia accire poteſt adhibitos teſtes, & audire ſibi teſtimonium perhibentes, Paul. 3. *ſent.* 4. §. 4. Porro quod ſecretum teſtamentum hic dicitur, Græci μυστικὴν διαθήκην appellant. Harmen. 1. *c.* περὶ μυστικῆς διαθήκης, de quo plenius alias apud eundem Harmenopulum in Græcarum juris dictionum Nomenclatore, ut & locis aliis diximus. 5 Extat epitome hujus conſtitutionis 5. Harmenop. 1. §. 31. & 34. *l.* 8. *C. qui teſtamenta.* 6 *l.* 8. *C. qui teſtamenta.* 7 Κατὰ τὸν μυστηριώδη τρόπον. *Scrimg.* id eſt, ſcripto, ſed per ſolam nuncupationem. Nam μυστικὴν διαθήκην Harmenop. 5. *tit.* 1. vocat teſtamentum ſcriptum: & merito: teſtamentum enim non ſcriptum, teſtibus evulgatur neceſſario: quod & jure conſtituitur, ne fides alioquin teſtamenti pereat. 8 *Nov.* 119. *c.* 9. 9 Εἰς τὸ πρὸς τὰς μυστικωτέρας διατάξεις καθίστασθαι. *Scrimg.* 10 Διατάξεις ἐν μυστηρίῳ κειμένας. *Scrimg.* 11 Puta, mulierum, & imperitorum ſcribendi 5. Harmenop. 1. §. 34.
12 Περὶ ἐφόδων. *Scrimg.* Hac Novella confirmatur jus vetus pœnæ conſtitutæ adverſus graſſatores. 13 Communio animorum, ex communione conditionis præſumitur. 14 *l.* 29. *ff. pro ſocio.* §. 1. *Inſt. de ſocietate.* 15 Adde *l.* 5. *ff. pro derelicto*: *l.* 43. §. 7. 8. 9. *ff. de furtis*: §. 47. *Inſt. de rerum diviſ.* 16 Forte ex pacto. Poteſt & hoc referri vel ad rem pro derelicto habitam d. *l.* 5. vel ad res eas quas dominus ignoravit. *arg.* d. §. 7. 8. 9. *Nov.* 64. §. *eod.* 17 Συστρατιῶται commilitones qui ſimul militant. 18 De complicibus raptus *l. un.* §. 2. *C. de raptu.* 19 De complicibus parricidii *l.* 2. *l.* 6. 7. *ff. ad l. Pompejam de parricidiis.* 20 Ἔφοδοι Græci. Galli *guetteur de chemins*, facit *l.* 28. §. 10. *ff. de pœnis*: *Novell.* 134. *c.* 13. *verſ. Eos vero, ibi. aut itineribus.* 21 Nihil igitur hac lege innovatur. 22 Conſcii, complices, miniſtri *l.* 2. §. 12. *ff.*

vi bonor. 23 Pœna miniſterium præbentis graſſationi faciendæ *d.* §. 12.
24 Apud Harmenopulum nominatur 36. vid. 2. Harmen. 4. §. 151. *l. ult. ff. finium regund.* 25 Ἀρασίμοις. 26 Ὑπαμπέλοις. 27 Et de ſpatio quo domum ædificatam in agris abeſſe oportet ab arvo vicini. Spatium autem definitur, quantum unus vel duo teli jactus faciant: olim duorum pedum ſpatium videtur fuiſſe, *l. ult. ff. finium regundor.* quæ hoc modo videtur abrogari. 28 *l. ult. ff. finium regundor.*
29 Εἰς ἀποκλήρωσιν. *Scrimg.* vetus liber habet, ὡς ἀποκλήρωσιν, quod eſt, ὡς ἀπόμοιραν, ut partem aliquam ab arvo aut vinea ſeparabant. Nam & ἀποκληροῦσθαι dixit duobus locis *Novell.* 5. per partem alicui addere & ſupponere. vide Cujac. 17. *obſ.* 31.
30 Εἰς τὴν τῶν νόμων πολιτείαν. *Scrimg.* intelligit πρόχειρον Baſilii, de quo dixi initio harum Novellarum. 31 Ἐγράφησαν πολιτείαν. *Scr.* ἐγράφη συμπολιτείαν. Cujac. 17. *obſerv.* 31. *ut Nov.* 78. τῆς ἐν τοῖς νόμοις συμπολιτείας. 32 Νόμου τιμῇ: *Scr.* νόμου τιμῆς. Cujac. 17. *obſ.* 31. 33 Κατὰ τὴν ἐκείνων. *Scrimg.* κατὰ τὴν ἐκείνου. Cujac. *d. loco.* 34 Ποιεῖσθαι τὸ διάστημα. *Scrimg.* μετρεῖσθαι τὸ διάστημα, ut apud *Harm.* Cujac. *d. loco.* 35 Δυσὶ τόξου βολαῖς, *à deux trajets ou jects d'arc.*
36 Τῆς τοιαύτης τῶν οἰκήσεων νεουργίας. *Scrimg.*
37 Hæc Novella triceſima octava nominatur apud Harm. 1. *tit.* 9. §. 12. 38 Ἄνευ προστίμου. 39 Nudum pactum non parit actionem *l.* 7. §. 4. *ff. de pactis.* Nudum non cenſetur interpoſita divini nominis denominatione aut crucis ſigno: *ut hic.* 40 Hic locus valde ſuſpectus. Nudum enim pactum non eſt quod litteris eſt munitum. *Inſt. de literar. oblig.* 41 *d.* §. 4. 42 Ratio abrogandæ legis hinc ſumitur. 43 Τὸν θεῖον σταυρόν. *Scrimg.* 44 Crucis Chriſti ſignum adeo ſanctum veterum ſeculo fuit, ut in inſtrumentis pro fide & ſubſcriptione cederet, *l. ult.* §. 2. *C. de jure deliber.* *Nov.* 73. *c.* 8. *Nov.* 90. & fixione ejus, profana loca expiari; Deoque conſecrari crederentur *Nov.* 5. *c.* 1. & 67. *c.* 1. *Nov.* 131. *c.* 7. *l. ult. C. Theod. de pig. ſacr.* Crux quoque præferebatur litaniis publicis, *Nov.* 123. *c.* 35. Ex contrario vetitum, ne in locum publicum, vel privatum voluptatibus deſtinatum crux inferretur, *l.* 26. *C. de epiſc.* aut ad contumeliam paſſionis Chriſti deferretur, *l.* 1. *C. de Judæis.* aut humi in ſilice vel marmore pingeretur, vel ſculperetur *C. Nemini licere ſignum ſalvatoris Chriſti.* 45 Ἐντάξη. *Scrimger.* Signum etiam veteres appellarunt, *Cod. nemini licere ſignum ſalvatoris Chriſti.* Ratio a Chryſoſtomo affertur, ὅτι πάσας (inquit) τοῦ θεοῦ τὰς παρακαταθήκας ὅσας ἂν λάβωμεν τούτῳ καθάπερ τινὶ σημάντρῳ βασιλικῷ καὶ δακτυλίῳ σφραγίζομεν. hæc ille. Conſtat quoque veteres frontem eo ſigno præmuniſſe, vide *Protevangelium Jacobi*, Tertullianum & Hieronymum *in vita Pauli.* 46 Θεαρχικῆς τριάδος. 47 Crucem intelligit & Trinitatis denominationem.

ſit, quamvis de pœna nihil ſcriptum ſit, firmum ſolidumque robur habeat.

CONSTIT. LXXIII.

* UT NEMO CUM [1] MULIERIBUS IN ECCLESIARUM COENACULIS HABITET.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ res etiam antequam jure prohibita eſſet, deteſtabiliter committebatur, ac vero poſt prohibitionem multo deteſtabilius audetur (quod nempe in [2] Eccleſiarum cœnaculis, quæ promiſcuum vulgus κατηχϰμενα [3] vocare ſolet, quidam cum mulieribus habitant) eam neglectim habere æquum non eſt: neque vero ita a nobis habebitur. Ac fuit hæc quidem res ad ſextam [4] usque ſynodum, haud ſcio qua ratione, impune admiſſa, in ipſa autem ſancta ſynodo, ubi penitius excuſſa eſſet, ſacerdotibus ita habitantibus, remotionem [5] a ſacro ordine, profanis vero a rerum ſacrarum communione ſeparationem [6] induxit. Verum, ut plene ab eo auſu eccleſias vindicaret, ad id ſacerdotale decretum non par fuit. Nam cum ad id usque tempus, quo pater noſter inclytus Princeps ſceptra moderatus eſt, in republica conſtitiſſet, ut Principis decretum atque manus eam inſolentiam ſacris ædibus expelleret, oportuit. Quod nos quum dehinc obtinere velimus, ſtatuimus, *ut omnino nullus* neque ſacerdos, neque profanus, in [7] dictis cœnaculis cum mulieribus habitet: ac ſi quis ſacram ædem hoc modo fœdare deprehendatur, hic illinc ignominioſe principali manu exturbetur, qui vero illi eum locum habitandum præbuit (ſive ſacerdos ſive aliquis alius qui templum procurat, ſit) ipſe quoque propter legis contemptum ſacrorumque profanationem procuratione periclitetur.

CONSTIT. LXXIV.

NE ANTE LEGITIMUM MATRIMONII TEMPUS FUTURIS CONJUGIBUS BENEDICATUR [8].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUoniam in iis quæ a ſacra magnaque ſexta ſynodo de nuptiis in duodecenteſimo [9] canone præcipiuntur, quiddam civilis juris placitis contrarium exiſtere videtur (ſynodus enim [10] ne ſponſa, vivente adhuc ſponſo, in matrimonium alteri conjungatur, in univerſum prohibet, eamque rem pro adulterio [11] habet: civilis autem lex [12] nequaquam talem diſſolutionem magnum aliquod eſſe crimen judicat: ſed ſi maturius [13] quam pro connubiali tempore ſolennis nuptialis benedictio celebretur, in ſolis arrhis, & quicquid pœnæ nomine permiſſum fuerit, dependendis, pœnam circumcludit.) Quoniam itaque ipſum contrarietatis velut vulnus hinc acrior ratio conſpicit, (quod enim poſt benedictionem dirimantur, in eo vera ſponſaliorum diſſolutio ſtatuenda eſt) ſancimus, ne prius benedictiones [14] celebrentur, quam legitimum matrimonii advenerit tempus, quod [15] in maribus decimumquintum [16], in fœminis decimumtertium expectat annum. Sic enim & benedictio tempeſtive fiet: & deſponſatis a ſe invicem divertentibus, quod perfectum matrimonium dirimant, a civili lege judicium quod eccleſiæ placitis non adverſetur, obveniet.

CONSTIT. LXXV.

* UT QUI VIGINTI [17] ANNORUM EST, HYPODIACONUS CREARI POSSIT.

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ univerſali.

SI ſacrorum decretorum ſanctio ad res civiles tranſiens, in illis ſæpe plus autoritatis quam ipſæ civiles de iisdem rebus tractantes leges habeant, quanto magis ſacra decreta in ſuis rebus civilibus legibus prævalebunt? At quid eſt quod dico? Sexta Synodus [18] vicenarium hypodiaconum ordinari poſſe ſancit: huic vero civilis lex contradicens, viginti annis quinque admetiri jubet. Nos itaque *uti ſacram* legem ſacer ordo ſequatur, convenire rati, ut ad hypodiaconatum, qui quidem eo digni ſunt, anno ætatis ſuæ vigeſimo admittantur, ſancimus.

CONSTIT. LXXVI.

* DE POENA [19] FALSUM TESTIMONIUM DICENTIUM SACERDOTUM.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ præconibus Dei (ſacroſanctis Apoſtolis nempe) ſacræ ſanctiones [20] adſcribuntur, ſacerdotes falſo juraſſe deprehenſos, ſacra dignitate privant [21]. Civilis vero reipublicæ moderatrices leges [22], ubi hujus rei conſtituendo tractatui incumbunt, falſum teſtimonium bifariam dividunt: & quod falſum dictum in cauſa criminali deprehenderint, remotione a ſacro ordine puniunt: qui vero in re pecuniaria falſum teſtimonium dixerint, hos ad tempus relegando, non autem penitus removendo puniunt. Nos igitur jubemus, ut qui jurati falſum teſtimonium, ſive in cauſa criminali, ſive pecuniaria tulerint, profani illi a ſacerdotio abſpellantur: at ſi ad falſum teſtimonium jusjurandum non acceſſerit, qui falſum veritatis ſpecie obtegere conati ſunt, in triennium [23] relegentur (relegandi autem in monaſterium aliquod erunt, ubi illos ad arctiorem vitæ quandam normam vivere oportebit) delictique convenienti pœnitentia facta, in priſtinum ſuum reſtituantur ſtatum.

CONSTIT. LXXVII.

* DE FALSARIORUM POENA [24].

Idem Imperator eidem Styliano.

CUm in pleriſque aliis, tum præcipue in legum tractatibus reprehendenda obſcuritas [25] eſt. Nam ſi cubi alibi, illic certe diſtorto intricatoque dicendi genere vacare, rectèque informari oratione (ni fallor) oportet: non enim arcana quædam ſanctiones legis ſunt, ut a multitudinis intellectu remotæ eſſe debeant: ſed potius, ſi fieri poſſet, neminem illas [26] latere, neque virum, neque puerum, neque mulierem oportebat. Quippe quod id ad hominum mores in melius convertendos, communisque vitæ utilitates vel maxime conducere. Ob id cum ad difficilem illum legum capitum locum ſubſtitiſſemus, ubi ipſis verbis quaſi legislator in eo quid diceret occultare voluiſſet, ita [27] comprehenſum eſt, *Falſarius in maximo delicto ſupplicio capitali afficitur*: cum quale tandem maximum illud delictum eſſe legislator ipſe exiſtimarit, non conſtet, illeque ejus rei intellectum non definitum præcidat: evidenter & definite illam orationem explanare nobis viſum fuit. Sancimus igitur, ut ſi iſtiusmodi quædam falſarius conſcripſerit, ex [28] quibus is adverſus quem falſum ſcriptum concinnatum eſt, mortis pœnæ ſubjiciendus ſit: ipſe falſarius pœnæ quam in alium machinari cogitarit, traditus decollctur.

CONSTIT. LXXVIII.

* NE AMPLIUS SENATUSCONSULTA FIANT [29].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUemadmodum & in aliis legibus, quæ ad communem rerum uſum nihil conferrent, fecimus, ut eas tanquam ſupervacaneas e legum corpore ſubduceremus: ita hic quoque facientes *eam* [30] *legem quæ Senatum* ferendarum legum poteſtatem facit, a legum quaſi republica ſecerni ſancimus. Nam cum, ex quo Senatoriam adminiſtrationem Imperatoria Majeſtas ſibi vindicavit, inutilem illam eſſe judicari debeat: ſi cum utilibus conjungeretur, & ineptum & ſupervacuum eſſet.

CONSTIT. LXXIX.

* DE [31] POENA SACERDOTIS, DIACONI AUT HYPODIACONI [32], SI POST ASSUMPTUM ORDINEM MULIERI IN MATRIMONIUM JUNGATUR.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ ſemel Deo dedicata ſunt, ea deinceps auferri non oportere, ſancitum eſt: idque non ſolum in donariis, verum multo etiam magis in hominibus qui per ſacrum ordinem divinæ Majeſtati conſecrati ſunt, obſervandum eſt: tametſi (ut multi ſunt hominum lapſus) e ſtatu in quem tanquam honeſte victuri, allecti erant, peccatum dominio in ipſos ſuſcepto, exturbet. Non approbantes igitur veteris [33] legislatoris propoſitum, qui ſacerdotem, diaconum aut hypodiaconum [34], ſi poſt aſſumptum ordinem mulieri in matrimonium jungatur, omnino a clericali habitu diſcedere, atque ad profanam vitam reverti vult: illud decretum irritum facimus, ac vero ſtatuimus, ut ab ordine quem ante nuptias obtinuerint, ſolum recedentes, ſatis tamen pœnarum luere videantur, & nequa-

1 Facit *Novell.* 123. *cap.* 29. *Novell.* 133. *cap.* 3. *l.* 19. *l.* 44. *C. de epiſc. canon.* 47. *Synod. in Trul. Synod.* 7. *cap.* 18. & 20. ubi de duplicibus monaſteriis. *Novell.* 123. *cap.* 36. 2 Ἐν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ὑπερῴοις. Græci ſic. eſt vero ὑπερῷον domus editiore loco poſita 2. Harmenop. 4. §. 27. & 44. 46. 96. 3 Κατηχϰμενα, ut *infr. eod.* Catechumenorum manſiones, 6. *Synod. cap.* 98. 4 In Trullo. 5 Quam Græci καθαίρεσιν. Scrimg. *hic.* 6 Ἀφορισμὸν. *Scrimg.* Clericorum eſt, καθαίρεσις, de qua ſupra: monachorum & laicorum ἀφορισμὸς. 7 Ἐν τοῖς λεγομένοις κατηχϰμένοις οἰκεῖν. *Scrimg.* ut *ſupr. eod.* κατηχϰμενοι.
8 Benedicendi conjugibus morem obſerva. adde *Novell.* 89. *infr. eod.* 9 Στηῶ. *Scrimg.* legendum ϛϟ. id eſt, 99. 10 Sexta ſcil. *d. c.* 99. 11 Adulterium ſententia ſextæ ſynodi committit, qui alterius ſponſam ducit. 12 *l.* 1. 2. 3. *C. de ſponſ.* 13 Vid. *d. l.* 3. 14 Τὰς εὐλογίας. 15 Pubertas in nuptiis definitur anno 15. & 13. non affecto, ſed plane expleto: adde Novellam Juſtiniani 100. *cap.* 2. *l. unicam C. Theod. de Carboniano edicto.* Sane Teſtamentum nemo facere poteſt niſi 14. anno expleto, hoc eſt, 15. incepto 35. *Ecl.* 7. 5. Harmenopul. 1. §. 3. 16 Legitimum nuptiarum tempus in maſculis & fœminis.
17 Hypodiaconus creari poteſt, qui annorum eſt 20. dixi ad *Novell.* 16. *ſupr. eod.* adde Photium 1. *can.* 9. *can.* 15. *ſyn.* 6. *in Trullo.* 18 *In Trullo can.* 15.
19 Falſum teſtimonium dicentis ſacerdotis pœnam obſerva. Diſtinctio *can.* 24. *apoſt.* & *Nov.* 123. *c.* 20. adhibetur: non quodvis ob falſum teſtimonium clericos privari dignitate, ut canon 24. voluit, non ob falſum teſtimonium in criminalibus, ut *d. Novell.* Perjurio itaque ſolo privantur dignitate: non nudo falſo teſtimonio. 20 Θεσπίσμασι, intelligit Canones, & quidem 24. qui Balſamoni eſt 25. 21 Ἀπογυμνοῦνται. *Scrimg.* 22 *Nov.* 123. *c.* 20. 23 Similis eſt pœna in *Nov.* 86. *in fin. infr.*
24 Falſi crimen non ſemper eſt capitale: & ita abrogatur *l.* 22. *in fin. C. de falſis. l.* 1. *in fin. ff. de falſis.* adde quæ dixi ad *l.* 1. & *l.* 22. *C. de falſis.* 25 Obſcuritas legibus inimica. 26 Ut *l.* 9. *C. de legib.* 27 *l.* 22. 28 Deponens falſum in cauſa capitali, capitaliter punitur, Clarus §. *falſ.* & falſum à v. ex communi opinione refert falſum teſtimonium dicentem dolo, capite puniri: ad ſui defenſionem arbitraria pœna vel publicatione bonorum & deportatione, ſi in ejus condemnatione: in pecuniariis cauſis, plerumque vero linguam amputari, aut reum fuſtigari: vid. *eod.*
29 Senatusconſulta fieri prohibentur: & ita abrogatur *tit. C. de ſenatuſc. l.* 9. *ff. de legib. & ſenatuſc.* 30 *d. l.* 9.
31 Vid. Balſ. *c.* 6. *ſextæ ſynodi in Trullo diſt.* 32. *c. ſi qui eorum.* 32 Nuptias poſt aſſumptum ordinem contrahentis ſacerdotis, diaconi & hypodiaconi: Extenſio eſt canonis 25. Apoſt. qui eſt 26. apud Photium, quo ſoli lectores & cantores uxorem ducere vetabantur, & abrogatio *Novell. Juſtiniani* 6. *c.* 5. *verſ. ſi autem aliquis presbyter.* qua poſt aſſumptum ordinem presbyter, diaconus & hypodiaconus nuptias contrahens ordine privantur, ſiebantque idiotæ. Hac Novella poſt aſſumptum ordinem ducta uxore, hujusmodi homines ordine ſuo quidem privantur: non tamen & clericali habitu vel alio in eccleſia miniſterio. 33 *Nov.* 6. *c.* 5.

quam

quam clericali habitu alioque eccleſiæ miniſterio, cujus quidem uſus illicitus non eſt, judicio priventur.

CONSTIT. LXXX.

* UT PURPURÆ SEGMENTA [1] ET PARTICULÆ IN PUBLICIS MERCIMONIIS SINT.

Idem Imperator eidem Styliano.

HAud ſcio qua ratione ſuperioris ævi Imperatores, cum ipſi toti [2] purpura veſtirentur, inducti fuerint, uti ne [3] qua omnino purpuræ [4] particula venundaretur, ſtatuerent, neque cuiquam talem colorem vendere aut emere permitterent. Ac ſane ſi integram [5] telam vænire illi prohibuiſſent, aliquam fortaſſe ejus faciendi non alienam a ratione occaſionem habuiſſe videri poſſent: at quod ſegmenta [6] atque fruſtula, quæ utilitatem atque uſum neque vendenti neque ementi inconvenientem præbeant, in mercimoniis eſſe prohibuerunt [7]: id vero quam honeſtam, & quæ ſubditorum invidentia vacet, illorum judicio prætendet cauſam? Nam quod aut Imperatoriæ Majeſtatis adverſetur eminentiæ, aut eam in communem uſum devocet, quid *quæſo* hinc exiſtat? Nos itaque iſti decreto non acquieſcentes, conſtituimus *ut purpuræ* [8] fruſta atque ſegmina, quæ magnificentiæ ſpecimen aliumve non prohibitum uſum ſubditis præbeant, tam divendi quam emi poſſint. Decet enim Imperatoriam Majeſtatem, cum aliis multis modis ſubditos beneficiis afficiat, eorundem magnificentiæ ne invideat.

CONSTIT. LXXXI.

* NE EX AURO [9] ET PRETIOSIS [10] LAPILLIS QUICQUAM CONFIERI IN UNIVERSUM NEFAS SIT.

Idem Imperator eidem Styliano.

HAnc vero etiam legem [11] quæ mundo muliebri annuliſque exceptis, aliquid aliud ex auro & gemmis conficiendi omnem prorſus facultatem adimit, ejusdem cum illa quæ de purpura tractat eſſe inſtituti animadvertentes, in eandem quoque cum illa conditionem reponimus. Non enim ſimpliciter ex auri materia quicquam in opificium præberi, ſed ſpecies operum prohiberi oportebat. Quoniam ne quod omnino ex auro & gemmis opus confiat vetare, manifeſta id ſe ſupra omnes efferendi cupiditas eſt. Jam vero, quod in quacumque re legem transgreſſus eſſe deprehenſus, tam gravem pœnam ſuſtinet (centum librarum auri mulctam quodque huic accedit, capitale ſupplicium dico) ut ea lex non ſummæ immanitatis eſſe putetur, qua ratione devitabitur? Quantam autem aliam abſurditatem in ſacris theſauris aliiſque nonnullis rebus effectus pœnæ deſignet, non attingo. *Nos* itaque non ſimpliciter opus aliquod ex auro & gemmis confici, ſed illa opera quæ ſolis Imperatoribus permittuntur, quorumque uſus magnificentiæ Imperatoriæ Majeſtatis, ejusque neceſſitatibus deſtinatus eſt, prohibenda judicamus. Quare ſi quis vel monumentum ſacrum, vel aliud quiddam quod ſupra privatam dignitatem & honorem non ſit, conficere poterit, liberam ejus faciendi voluntatem habeto.

CONSTIT. LXXXII.

DE TESTAMENTO RESIGNATO [12].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ fortuito quodam caſu contingunt, eorum permulta nondum expenſa criminis nomine notantur: quæ eadem accuratius poſtmodum perſpecta, a nota abſolvuntur. At quale eſt quod dico? Perſæpe non de induſtria, ſed fortuito aut ferri aut lapidis jactu aliquis læditur. Eo necdum diſcuſſo, qui jaculatus eſt, ſons judicatur: diligenti autem de eodem examine habito, quare culpetur, nulla juſta ratio invenitur. Quamobrem quæ caſu eveniunt, ex circumſtantiis magis quam e rei natura judicari convenit. Verum quorſum hæc dicuntur? Quoniam teſtamentum poſtulante neceſſitate apertum [13], quum interdum deinceps reſignatum relinqui contingat, aut ipſum tempus (quod fieri aſſolet) ſigillum conſumat, fide quam ſignatum haberet deſtituatur, indeque incertitudo quædam iſtiusmodi teſtamento inſidietur: teſtamentis alio modo ad fidem confirmatis ſubvenire viſum eſt, ac jubemus, ut [14] *licet ad fidem faciendam illis ſigillum ſalvum non ſit, ſubſcriptiones tamen, ut rata maneant, teſtimonio præſtent.* Quemadmodum enim teſtamenta nondum aperta, quanquam (ut fit facile) ſigillum illæſum ſervatum non ſit, ſubſcriptiones confirmant [15]: ſic illa etiam quæ poſtmodum aperta ſunt, aut negligentia non obſignata manſerunt, aut quibus diuturnitate temporis ſigilla perierunt, ne fide priventur, dummodo ex ſubſcriptionibus fides illis ſuperſit, juſtum putamus. Illud porro inſuper ſancimus, ut ſi judicis ſocordia, ne teſtamentum denuo obſignaretur, factum ſit, ipſi in ſocordiæ pœnam duodecim librarum multa imponatur.

CONSTIT. LXXXIII.

UT AD TRIENTES USURAS PECUNIA LICITE MUTUETUR [16].

Idem Imperator eidem Styliano.

SI a Spiritus legibus ita ſe mortale genus regi ſineret, ut humanis præceptis nihil indigeret, id vero & decorum & ſalutare eſſet: at quoniam ſe ad Spiritus ſublimitatem elevare, divinæque Legis vocem amplecti non cujusque eſt: ac vero quos huc virtus ducat, numero valde pauci ſunt: bene ſeſe adhuc res haberet ſi ſaltem ſecundum leges humanas viveretur. Quæ vocantur pecuniæ creditæ uſuræ, ubique a Spiritus decreto [17] condemnantur. Id ſciens [18] pater noſter æternæ memoriæ Princeps uſurarum ſolutionem ſanctione ſua prohibendam putavit. Atqui propter paupertatem res illa non in melius (quem tamen finem legislator propoſuerat) ſed contra in pejus vergit. Qui enim [19] antea uſurarum ſpe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, poſt latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere poſſint, in eos qui pecuniis indigent difficiles atque immites ſunt. Quinetiam ad facile jurandum, quodque id fere conſequitur ad jusjurandum abnegandum, id occaſionem præbuit. Breviter, propter redundantem in humana vita perverſitatem, non modo non profuit legis virtus, verum etiam obfuit. Quanquam *igitur* ex ſe legem culpare (quod quidem etiam abſit) nequeamus: propterea *tamen* quod humana natura (quomodo diximus) ad illius ſublimitatem non perveniat, egregium illud præſcriptum abrogamus: ac in contrarium ſtatuimus, ut æris alieni uſus ad uſuras procedat, idque quomodo veteribus legislatoribus placuit, ad trientes centeſimæ nempe, quæ [20] quotannis in ſingulos ſolidos ſingulas fœneratoribus ſiliquas [21] pariunt.

CONSTIT. LXXXIV [22].

UT NEGOTIARI, ÆDIFICARE, MUNERAQUE ACCIPERE URBIS MAGISTRATIBUS LICEAT [23].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ a ſuperioribus [24] de magiſtratibus regiæ urbis decreta ſunt (*ne videlicet illi neque mobile aliquid, neque immobile emant, neque ad ædificandum accedant, niſi Principis permiſſu: inſuper vero, ne, ſi qua magiſtratus tempore munificentia accedat, hæc rata fiat, extra quam ſi donator finito magiſtratu ſcripturæ auctoritate illam confirmet, aut poſt magiſtratum quinque anni elapſi ſint*) hæc, quanquam hujus contemplatione, ne [25] vis locum inveniat, optima ratione conſtituta ſint: quia tamen alio etiam modo violentiæ viam præcludere facile eſt, nobis non videntur eſſe neceſſaria. Quocirca etiam abrogata illa eſſe volumus: *idque ideo* præſertim, quod ex quo transgreſſione illorum indies *magis atque magis* impunita relicta, pœna exerceri deſiit, etiam ante noſtrum decretum nullam vim habuerint. At qua de cauſa illa neceſſaria non ſunt? Quod cuique tam pauperi quam diviti (cum iis qui apud hanc urbem *habitant*, compellare Principem, eique ſupplicare expeditiſſimum ſit) liceat, ſi quam vim ſuſtineat, ne omnino a violento magiſtratu conficiatur, precibus a Principe impetrare: adeo ut nulla neceſſitas ſit, ut quemadmodum in provinciis omni auxilio vacuis, ita etiam in Urbe, ubi abunde auxilii eſt, hæc adeo exacte requirantur. Sancimus itaque, *ut ſecundum* præſentem rerum ſtatum tum emere, tum ædificare magiſtratus [26] poſſint, & in ſuſcipiendis quæ ſponte offeruntur muneribus [27], criminatione vacent, quippe [28] cum, qui

1 Purpuræ ſegmenta quæ τμήματα J. *eod.* in publicis commerciis permiſſa, videntur abrogari. *l. ult. Cod. de veſtib. holober.* 2 Ἀλϰργίδα ϛολιϛάμενοι. *Scrimg.* 3 *l.* 1. *C. quæ res venire non poſſ. l. ult. C. de veſtib. holob.* & antea a Cæſare purpuræ uſus interdictus præterquam Senatoribus qui in magiſtratu eſſent, *Dion* 49. & Neronem quoque matronam purpura uſam non veſte tantum, ſed bonis exuiſſe refert Sueton. 4 Ἀλϰργόν τι μέρος. 5 Ὁλόκληρον ὕφασμα. 6 Τμῆμα δὲ καὶ μέρις βραχεῖα. *Scr.* Tiberium Poſteriorem Cedrenus ſcribit permiſiſſe purpuræ δϰδακτυλιϰς ὄρας ἐν ταῖς ϛολαῖς αὐτῶν κόσμϰ χάριν φέρειν. ὄρας dixit quaſi oras & ornaturas. Iſidorus ſegmenta, *ut hic.* Liv. 11. ſancitum mulieribus ut aureis ſegmentis uterentur. Arator loquens de pontificis habitu in Exodo a Moſe præſcripto. Qui ſegmentatus mediis altaribus adſtat. ſegmenta, limbi, ſeu inſtitæ, *l.* 23. §. 1. *ff. de auro.* adde Cujac. 12. *obſerv.* 24. 7 Intelligit, ut opinor, *l. pen. C. de veſtib. holober.* 8 Τὰ ἀλϰργὰ μὲν μέρη καὶ τμήματα.
9 Ex auro vel pretioſis lapillis aliquid fieri prohibetur. videtur itaque revocare conſtitutionem Aureliani, qua permiſſum fuerat, ut aureis, qui vellent & menſis uterentur & poculis, autore Vopiſco. Abrogatur autem lex unica, *verſ. nulli. Cod. nulli licere in frenis.* 10 Lapilli pretioſi, margaritæ, ſmaragdi, & hyacinthi: aliis enim gemmis frena, equeſtres ſellas & baltheos ornare permiſſum *d. l. un.* 11 *d. l. un. verſ. nulli præterea privatorum liceat exceptis ornamentis matronalib. &c. C. nulli licere in frenis.*
12 Περὶ τῆς ἀσφραγίςϰ διαθήκης παρὰ τϰ ἄρχοντος *Scrimg.* hoc innuit, Teſtamentum non ideo non valere, quod ſigna caſu corrupta ſint: ſi modo de teſtamenti fide teſtium ſubſcriptionibus conſtare poſſit. 13 Vid. *tit. ff. teſt. quemadmodum aperiantur.* 14 Scrimgerus ita legit, κἂν μὴ τῆς σφραγῖδος ἡ σωτηρία περιέσι τῇ διαθήκῃ εἰ τὴν ἀξιοπιςίαν, αἱ ὑπογραφαὶ δύναιντο προσμαρτυρεῖν, μὴ διαμαρτυρεῖν τϰ εἶναι βεβαίαν αὐτήν, qui locus purior extat apud Cujac. 17. *obſerv.* 32. his verbis, διαθήκη, εἰς τὴν ἀξιοπιςίαν &c. id eſt, Jubemus etiamſi ſigilla teſtamenti non ſuperſint, ſi idoneam fidem ſubſcriptiones teſtamento adhibeant, ne quid ob eam rem fides teſtamenti infirmetur. 15 *l.* 30. *ff. qui teſtamenta facere.*
16 Uſuræ trientes hic permittuntur, & ita abrogatur Baſilii conſtitutio, qua vetitæ fuerunt in univerſum uſuræ. *infr. eod.* 17 *Exod.* 22. *Luc.* 6. adde Clar. 5. *ſent.* §. *uſuras* 20. 18 Uſuræ quomodo interdictæ a Baſilio: cujus nomen videtur legendum apud Harmenop. 3. *tit.* 7. §. 27. ubi tamen legitur Leo. 19 Hic ſatis oſtenditur, in hac hominum vita uſuras vix prohiberi poſſe. 20 Obſerva ex hoc loco, & ex Ammiano *l.* 2. *C. Theod. de uſur.* & *Novella Juſtiniani* 32. *c.* 1. *ibi, in ſingulos ſolidos annuas ſiliquas:* definitionem uſuræ trientis. 21 Ὅπερ ἐςὶ κεράτιον ἓν ἐφ᾽ ἑνὶ ἑκάςῳ νομίσματι. *Scrimg.*
22 Harmenopulus 3. *tit. c.* 3. περὶ ἀρχόντων *in fin.* hanc conſtitut. facit 40. 23 Magiſtratibus urbanis hic permittitur, negotiari, ædificare, & munera accipere, & ita abrogatur Juſtiniani lex unica *Cod. de contractib. judic.* diſtinctione adhibita inter urbanos & provinciales magiſtratus. Videtur tamen hæc Nov. abrogari a Romano ſeniore *cap.* 1. *infr.* 3. Harmenop. 3. *c.* περὶ ἀρχόντων. 24 A Juſtiniano in *d. l. un.* 25 Vid. *l.* 11. *Cod. de his quæ vi.* 26 Urbani ſcil. ut indicat præter ſequentia, inſcriptio. Idem tamen de provincialibus conſtitutum refert a Leone Harmenopulus 3. *tit.* 3. *cap.* 13. *in fin.* ubi & ſolum excipit ϛρατηγὸν, qui Mercero dux exercitus: Reidano Harmenopuli interpreti Tribunus militum dicitur. 27 Adde *l.* 6. §. 3. *ff. de offic. proconſul. l.* 18. *ff. de off. præſid.* 28 Scrimg. ita habet, ὡς ϰκ ἀπορϰ́ντων τῶν ὑφιςαμένων τὸ βίαιον, ὁπότε τι συμβαίη τοιϰ̃τον, εἰς ἀποφυγὴν διὰ τῆς πρὸς βασιλέα ἐπιβοήσεως, Cujac. vero 17. *obſ.* 32. τϰ̀ς ὑφιςαμένϰς τὸ βίαιον ϰ̓κ ἀπορεῖν ἀποφυγὴν διὰ τῆς πρὸς βασιλέα ἐπιβοήσεως, eo ſenſu, non deeſſe auxilium his quibus vis infertur, cum poſſint principem invocare.

vim